Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-253949-p0001-4

C

Angelus Silesius

Bibl. Ham

Vc 736

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-253949-p0002-9

PARENTALIA ILLVSTRISSIMO AC POTENTISSIMO PRINCIPI, ET DOMINO, DN. IVLIO, Brunſuicenſium & Lunæburgenſ. duci.

Quartùm facta.

In illuſtri academia IVLIA

ab

HenricoMeibomio, PoetaLaureato, & acad. IVLIAE profeſſore publico.

HELMAESTADII
Excudebat Iacobus Lucius, Anno
M. D. XCII.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-253949-p0003-5

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-253949-p0004-1

QVâ patet, extincta per tristia nubila luce,
Præsulis imperium Latij, fatisque sinistris
Dira superstitio vitiatas occupat aras:
Lux hodierna agitur solemni festa paratu.
Namque sacerdotes, turba coëunte, recensent:
Cæsaris vt quondam coniunx sanctissima Chlori,
Bithynis Helene genitoribus orta (Britannam
Falsò vulgus ait) monitu imperioque Deorum,
Terna vbi transierant à nato sæcula Christo,
Quæsierit lignum fatale & nobile lignum:
In quo Christus, homo simul & Deus, vnica patris
Æterni soboles, miseranda sorte pependit:
Tunc, vbi, decreto Triados, commissa piaret
Crimina mortalis sæcli. qua strage potentem
Regnatorem Erebi, furias, atq; infera monstra,
Exuit imperio vinclisque innexuit arctis.
Hæc vbi commemorant longis ambagibus vsi,
Horrescunt corda agricolis, stupet inscia plebes:
Regalisque ausus Helenes curasq; seniles
Laudibus extollunt meritis. tene aurea mater
Felicis nati? tene optima Cæsaris vxor
Relligio inuasit tam feruida? vt abdita terræ
Scrutares, cæcaq; diu tellure reposta
In lucem erueres nostræ monumenta salutis.
Non ea cura viros subijt: non ille superbos
Inceßit feruor iuuenes, tu gloria sexus
Feminei, lumen patriæ venerabile gentis,

Thesaurum ingentem, atq; æterna laude vehendum
Prima retexisti. per te laudabile pignus,
Heu terræ infossum & scruposo cespite tectum;
Emicuit face lucidius, meruitq; reponi
Æde sacra. tu festa piæ facis annua genti,
Relligiosa parens, tua nos exempla secuti
Instrumenta necis, clauosq; crucemq; beatam,
Farre pio, & plena memores veneramur acerra.
Salue arbor preciosa nimis, venerabilis arbor,
Quæ sanctum pondus, quæ innoxia membra tulisti
Rore aspersa pio, & sancto madefacta cruore
Inuicti Herois. tu nobilis ara fuisti,
In qua saluificam tulit insons hostia mortem.
Fortunata arbos! tibi cerea dona cremantur,
Et pia thura, diesq; tuo de nomine dicta est.
Salue hominum indubitata salus: spes vna quietis.
Ipsi te reges venerantur, & oscula proni
Cara ferunt, tibi templa struunt, aquilisq; relictis
In clypeo gestant. sine te sibi nemo triumphos,
Nemo audet fasces, vel opes sperare caducas.
Omnia largiris. tu nos, vbi terminus æui
Imminet, & fesso spiramina denegat ori
Halitus, illustra: tu crudi Dæmonis æstus,
Nocturnasque acies Erebi Lamiasq; nigrantes
Obiectu crux alma fuga: largire quietem
Compositam, & vacuos indulge cladibus annos.
Talia verborum portenta, precesq; nefandas

Fraudi-

Fraudibus illusum fatuis miserabile vulgus
Ingeminat, raucaq; gemens ferit æthera voce.
Migrantes cernas, & robora dura ferentes
Arboreæ crucis: illacrymat longæua senectus,
Intuituque trabis prisci reminiscitur orbis.
Nos quibus adfulsit doctrinæ viuida lampas,
Mendacesq; Deos, & detestanda Babalis
Sacra profanatis iterum proiecimus aris.
Hunc morem, hos ritus, infausta hæc festa videntes
Iure cachinnamur. nam quæ dementia? truncis
Aduolui, statuisq; sacros decernere honores.
Est preciosa quidem, quæ Christum sustinuit, crux:
Dignaq; honore suo: sed non vis obtigit illi
Quæ diuina foret. permansit inutile lignum
Corpore deposito, nec ab illo dona recepit,
Vt dare possit opem. nihil hîc temeraria nobis
Credulitas dictet. possunt spectanda reponi
Insignis monumenta rei: fiducia verò
Si inde oritur rudibus, fas est præcidere causam
Cultibus insanis, seruataq; perdere signa.
Sic quondam Ezechias, regum sanctissimus vnus,
Qui fuit in Solymis, & seruantissimus æqui,
Serpentem rigido conflatum ex ære, sub æuo
Legiferi Moysis: post quam illum publicus error
Fecerat indigetem, & placabat thure calenti,
Sustulit ex adytis fractumq; in frusta redegit,
Nequicquam mystis vulgiq; fremente corona.

Gratia Christe tibi, qui veri luminis vsum
Indulges nobis, tenebrosaque nubila diffias
Verbi voce tui. pueris ista orgia sordent,
Quæ quondam impietas toto persuaserat orbi.
Vndiq; clarescit detecti infamia Papæ:
Fitq; minor, summis quondam metuenda potestas
Regibus, & rerum dominis. sed viximus æuum,
Quo tenebræ horrentes & inextricabilis error
Nos quoque, nos inquam lucis spoliauerat aura.
Tum chaos vmbriferum cæcis ex faucibus atros
Ructabat fumos, scelerumque informis abyssus
Diluuij in morem populabat templa scholasque.
O facies miseranda orbis! pars maxima turpes
Non animaduertit nugas, cæcata venenis;
Victa dolis. pauci, quos indulgentia cœli
Mitior: irradians insueta luce bearat
Agnouere quidem scelus exitale furentis
Italiæ, dirumq; nefas: sed lingua timore
Vincta, recusabat deprehensum prodere crimen.
Tantus erat furor, ac rabies truculenta tyranni
Hesperij, qui cæde rubens & sanguine, diris
Agmina supplicijs aduersa premebat vbiq;
Ibat inops animis & secum mille ferebat
Carnificum instrumenta, neci fabricata patrandæ:
Vincla, cruces, palos, tormenta, veruta, catenas,
Sicasq; gladiosq; truces, funesq; rogosq;:
Et quicquid Circe, quicquid Medea veneni

Miscu-

Miſcuit, aut gelida cum Colchide miſit Iberus.
Multus vbique pauor, funeſtaq; mortis imago.
Hac ſpecie immani mortalia pectora fregit:
Incuſſitq; metum populis, vt liber & exlex
Ipſe omnes regeret, ſed non regeretur ab vllo.
Quis precor hoc vnquam ſumſit ſibi? cuius in ore
Tanta vnquam improbitas, audacia tantaq; ſedit:
Vt furijs impos auderet agentibus vnus,
Ponere ius orbi, poſito vim adiungere flammis:
Quidlibet ex voto ſibi deſpondere, nec vllas
Formidare vices, regum mandata proteruè
Negligere, aut ridere palàm, faſtuq; tumere
Amplius & populis reges dare, regibus vrbes:
Reſpectumq; ſibi cunctarum abſcindere rerum.
Quid pietas legesq; iuuant? cognoſcite retrò
Tempora, continui lectis annalibus æui
Omnia percurſis euoluite ſæcula faſtis.
Non talis Buſiris erat, non regia Caci
Tale quid auſa fuit, Scyron toruusq; Procuſtes
Cedunt Papa tibi, cedit Mezentius effrons,
Sicaniæq; reus Phalaris. gaudete Nerones,
Gaudete Arſacidæ, & damnatæ ſanguis Idumes
Degener. en hîc eſt qui vos, veſtroſq; magiſtros,
Sanguineas tigres auidasq; cruoris Hyænas,
Præuenit feritate ſua, rabidiq; furoris
Cœcam intemperiem vulgataq; crimina vicit.
His ipſe infamis maculis, hac labe notatus

Con-

Conuictusq; probrum pietatis nomine texit
Iusq; dedit sceleri. tua sic vestigia Christe:
Sic tua Petre legit. vos namque vicarius ipse
Successorq; refert. hæc, scilicet, integra vita est,
Ambitionis inops auidæq; cupidinis expers,
Alterius studiosa, sui secura, probari
Vni optans Christo: quam sese ad nobile lethum
Accingens, pugnæq; parans interritus Heros,
Discipulis repetendo iterum atq; iterum inculcabat.
Stat suus imperijs & regnis terminus, illum
Nacta labant. æterna Deis cessere, sed orbi
Fata reliquerunt incerti temporis vsum.
Hoc etiam ferale iugum, prauiq; tyrannis
Exempli, quam Roma potens sine more tenebat,
Viluit, atq; humeros nostros excussa reliquit.
Namque potens animis & fandi dote Lutherus,
Excitus fatis (ceu quondam magnus Elias
Extulit os sacrum medij sub tempore mundi)
Ante exspectatum monstro, quanquam inscius ipse,
Opposuit sese, & spirantem fulmina Papam
Haud formidandum docuit. quoniam ille latenter
Triticeæ segeti misceret inutile gramen,
Atq; animos hominum inficeret fallente veneno,
Immemor officij sancti, ingratusq; salutis.
Mox vbi cognitio veri data maior, & hostis
Creuit in immensum rabies, duo fulcra Papatus,
Vitam coniugij expertem cultusq; Maosim

Fundi=

Funditus elisit. sic, quem nec Cæsaris arma,
Non regum potuere manus domitare, nec enses,
Non Academiæ, aut Synodi toto orbe coactæ,
Obruit imbellis Monachus, mirabile dictu:
Armatumque dolis & formidanda coquentem
Consilia inuasit securus, & vrsit inhærens.
Nec prius abstinuit, quàm detestabile sceptrum
Excuteret dextra, & diadema reuelleret aureum.
Extemplò patuit fatalis squallida monstri
Illuuies, tectumque scelus, ventrisque vorago
Cœlo ostenduntur. vulgi fit fabula Roma,
Romanusque pater: quem cæde & sanguine fuso
Vna ferè inuito tutatur Iberia cœlo.
O mundi regina potens Germania! soli
Cui datur impositis caput exonerare tenebris,
Heroasque pios partu generare secundo.
Quorum animi fortes ac libertatis amantes
Obijciunt hosti sese, & sua iura tuentur.
Vt quondam Harminius, caput insuperabile bello,
Italiæque timor, Varum, quo turpior alter
Non fuit, aut Româ Arctoas descendit ad oras,
Grassantem impunè & sibi cuncta licere putantem,
Imperium externum indignans fascesq; perosus
Hesperios, armis patrios prostrauit ad amnes:
Teutonicasque graui soluit formidine gentes.
Macti animi Heroes, fortissima pectora, vobis
Addidit hæc regio socium fidumque sodalem,

Guelfiaca de ſtirpe ſatum. namque ille ſuperſtes
Fratribus extinctis, quod vix ſperare licebat,
Regna patris, multum bellis exhauſta cruentis,
Accepit, moderante Deo, & gratantibus aruis.
Quid verò, data ſceptra gerens faſcesq; paternos,
Præſtiterit, nec fama ſilet, nec rumor inanes
Diſsipat in ventos. æternis addita libris
Singula cum plauſu magnoque ſtupore leguntur.
Nos veniente die, nos delabente notamus
Quæ vis, quæ pietas, quæ mens, quod robur in illo
Luxerit: vt patriæ fines in pace tot annos
Tutatus populi fortunas auxerit huius:
Vt Chriſti iuratum hoſtem, & commune flagellum
Imperij Papam ex animo damnarit, & omnes
Maluerit perferre vices, ſpectare ruinas
Sanguinis, & patrijs exſul valedicere regnis,
Quàm deteſtandis præbere furoribus aures.
Legitimè imperij factus ſucceſſor & heres,
Principiò delubra Deum, quæ Papa tenebat,
Purgauit ſqualore ſuo, pictosq; mouerat
Indigetes aris atque inueterata ſilere
Orgia mandauit. mox lucem induxit amicam
Doctrinæ, quæ pulſa loco iam penè latebat,
Prædominante ſitu & tetræ caliginis vmbra.
Ægrè equidem graſſata diu violentia notas
Deſeruit ſedes, ſeque omnes vertit in artes,
Nulli operæ aut ſtudio parcens: ſed numine Diuum

Præ-

Præualuit fortuna Ducis. vigor entheus illum
Occupat, & saluum per mille pericula ducit.
Contudit immanem dextra victrice tyrannum,
Exuuiasque dedit flammis, posuitq; trophæum,
Seruarit miseros quod acerba à peste clientes.
Ex illo stat nostra fides, ciuesq; beati
Agnoscunt lucem ætheriam, sanctisq; reguntur
Eloquijs Christi. iam non idola locamus
In templis, truncisq; preces & vota sacramus,
Barbarico ritu, iam non vernantia læui
Arua pererramus, simulacraq; secta ferentes
Implemus clamore vias. non lucis egentes
Accipiunt nostros gemitus & murmura manes,
Nædum vt stipitibus tribuamus munera vitæ.
Ligna colant lignis similes: nos fabrica nostri
Corporis, & mundi systema patentis, ab illis
Auocat ad numen melius maiusq;, quod expers
Interitus, pingi temerè fingiq; recusat.
Hac nostri maneant in relligione nepotes,
Posteritasq; omnis, quiq; exorientur ab illa.
Interea meritumque Ducis sanctosq; labores
Par erit hoc memorare loco. custodia verbi
Cœlestis castæq; artes & norma loquendi,
Seu Graium ritu, seu gentis more Latinæ,
Hic sedem fixere sibi: magalia postquam
Sustulit hinc, Musis & condidit atria princeps,
Dignus honore nouo, atque æterno nomine princeps.

Qui cunctis secura quies, qui tuta pericli
Turris erat, clypeusq; trucem porrectus in hostem:
Qui profugis portus, vicijs vndantibus agger.
Cui nemo Salomona pium, magnumq; Iosiam
Prætulerit: non qui Phrygios rexere Quirites
Theudosios, nostræque decus telluris Othones.
Illum, illum celebrare decet, versuq; canoro
Testari officium. veniant ego annua nobis
Festa, oculisq; iterum sistant, quem funus ademit.
Quàm timui! ne morbus atrox, diuturnus, & anceps
Forsan ob officio nos abduxisset amico:
Hancq; diem, quæ sacra Scholæ, quæ semper acerba
Orbasset meliore nota. quàm sæpè litaui
Christe tibi gemitusq; dedi: ne fida clientis
Cura moram factura minus, pateretur auiti
Iacturam ingenij & fieret rea crimine nullo.
Inueni te Christe bonum, meruiq; benignum.
Fas mihi sacra patri patriæ facere annua, laudes
Soluere virtuti & cœtus spectare coactos.
Nunc omnes depono metus, veterumq; malorum
Oblitus, spem mente sequor: quod nulla deinceps
Me fortuna pijs inuitum subtrahet ausis.
Sim dicarq; reus voti: soluenda lubenter
Pendo tibi, cui cuncta boni debere fatentur.
Sancte parens: præter lacrymas & carmen inane
Nil queo ferre tibi: nec tu mortale requiris
Officium, cœli consors; vbi gaudia coram

Omnia

Omnia participas. placeat tamen ardor honestus,
Dona Dei repetens per te diuisa, tibiq;
Non superum cultus, sed casta encomia soluens.
Vere nouo redit ægra dies, quæ funebre carmen
Exigit, & lacrymis oculos perfundit obortis:
Caussa patet, ver lætitiam, ver gaudia nobis
Infinita refert: sed ne mortalia sæcla
Liberet ærumnis, sortemq; excludat amaram,
Copulat optatis Deus infortunia rebus.
Ver poterat recreare animos, mea plectra ciere,
Et ciet & recreat. sed quando cogito mecum
Fata patris patriæ, funusq; recordor acerbum:
Nec me veris honos, nec florum gratia mulcet.
Suspiciam in cœlos, vbi mitis gratia Christi
Ver parat æternum, texunt noua serta ministri
Danda pijs, planduntq; animæ, ducuntq; choreas.
Quâs inter, generose parens, quia degis & hauris
Ætherias voces oculosq; per omnia voluis,
Æternum salue atq; vale. vox illa suprema est.

ANDREAS CLVDIVS
D. IC. ACADEMIAE IVLIAE Prorector, iurisdictioni nostræ subiectis S.

REdit luctuosæ memoriæ dies, quæ inclytæ huius academiæ conditorem, Principem inquam illustriss. Dn. IVLIVM, Ducem Brunouic. & Luneburg. non tam vita expulit, quàm in meliorem & beatiorem præmisit. Annum ab eo casu numeramus tertium, tempus quidem non magnum, sed desiderij nostri plenum. Quæ singulatim in hanc consideratione veniant, commemorare supersedeo. Illud in medio, Imperium firmissimo præsidio, terras hasce Princ. opt. litteras patrono benignis. & liberalis. orbatas. Atqui extat, extabitq; prouidæ curæ egregium monumentum eius hæc ipsa academia, extant alia propitij respectus documenta, quæ nomen, famam, merita eius oblitterari obliuione nulla patiantur. Imò vt principatus paterni habenas, ita & partes easdem clementiss. studio excepit Reuerendissimus & Illustriss. DN. HENRICVS IVLIVS Princ. De quo etsi dici multa poterant, tamen recens beneficium post homines

mines

mines natos longè amplissimum, dixisse sufficiat, quod ijs priuilegijs gaudere & frui academiam hanc voluit, pro quibus nos posteriq; nostri æternùm debeamus, quibusq; cæteris academijs tantum præeminere videtur,

Quantum lenta solent inter viburna cupressi.

Quemadmodum autem imperia, vrbes, familiæ, vel sacris certis, vel alijs id genus deuoti & memoris animi significationibus colere & celebrare conditores suos solent, ita nos IVLIO Princ. parentalia pangere pergamus. Suscepit id officij munus V. CL. Henricus Meibomius, collega noster, & ita suscepit, vt cum tam fauentes & Musas & Gratias habeat, quàm habere scimus, cras hora IX. consueto in loco elegantissimum & doctiss. poëma recitaturus sit. Itaque frequentes conueniatis, Principis memoriæ debitum honorem præstetis, totam solennitatem piè sancteque obeatis, non tam edicimus quam monitos & rogatos singulos volumus. P. P. II. Maij.

CIↃ. IↃ. XCII.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-253949-p0018-0

223

AB: 59072

ULB Halle 3
001 949 837

Retro
XD17

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-253949-p0019-8

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-253949-p0020-9

PARENTALIA ILLVSTRISSIMO AC POTENTISSIMO PRINCIPI, ET DOMINO, DN. IVLIO, Brunſuicenſium & Lunæburgenſ. duci.

Quartùm facta.

In illuſtri academia IVLIA

ab

HenricoMeibomio, PoetaLaureato, & acad. IVLIAE profeſſore publico.

HELMAESTADII
Excudebat Iacobus Lucius, Anno M. D. XCII.